

do in unico Codice se scriptum invenisse, ait Beza, uti & versu XI. *ὁ κηϞας*, ubi tamen Vulgata habet *Petrus. Coram omnibus*; i. e. palam, ac tota Ecclesia Antiochena adstante, ut supra insinuavimus; Nam peccaverat Petrus coram omnibus, deinde ad omnes malum serpere coepit, denique ad omnes causa illa pertinebat, merito ergo ipsum coram omnibus objurgat. Ratio reprehensionis hæc est; *Sicut tu Petre, cum sis Judæus*, scil. & natione & educatione, postquam didicisti legis ceremonias morte Christi esse abolitas, non finis te adstringi Judaicis ritibus, nec amplius eas servas, sed juxta morem gentium ad Christum conversarum bona conscientia hæcenus vivis, & communi cum illis mensa & cibo indifferenter & promiscue uteris, *quid*, sive, quo jure nunc fratres Christianos ex Ethnicis, quibus Lex Levitica lata non est, contra animi tui sententiam & vitæ tuæ institutum (nam Gentiliter Petrus vivere cepit, ex quo ei dictum erat, *Macta & manduca Actor. X.*) ad Judæorum vivendi rationem & observationem legalium rituum hac tua simulatione, tuoque exemplo cogis, sive valide inducis? Cur tua ab illis subductione & separatione scrupulum conversis gentilibus injicis, ac si adhuc sint immundi & a DEI gratia alieni, quibuscum non liceat conversari, nisi abdicata Evangelii libertate, Legis jugum subeant, & suscepta circumcisione servent statuta Mosis Levitica? Hoc indissolubili argumento, quod bene ait Hieronymus, Petrum constringit. Nondum quidem mortiferæ erant lex & ceremoniæ veteres, servarique poterant ad tempus, donec Judæi sensim & suaviter ab illis abducerentur, easque cum honore sepelirent; Erant tamen mortuæ & insuper mortiferæ, si quis eas servaret opinione necessitatis; quasi salvus esse non possit nisi legem Judaicam observaret. Et licet Petrus id non crederet, ita tamen sese gerebat, ut Gentibus hoc suspicandi efficacissimam occasionem daret. Ex Petri enim facto jure opinari poterant Gentes, Judaismum sive Ceremoniarum Legalium observationem tam sibi quam illi ad salutem esse necessariam & Christianos obligare. Et hoc est scandalum a Petro datum, quod severissima castigatione & aperta reprehensione dignum erat.

H.